



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

**Parisiis, 1644**

Epistola XVII. Gregorii Papae I. Ad Bonifacivm Primvm Defensorem. Vt  
defensores septem existant, qui regionariorum, notariorum &  
subdiaconorum priuilegiis vtantur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15221**

contemne. In defendendis partibus iustitiæ constanter insiste. Odi pro veritate, si qua sunt, sustinere non renuas; vt tanto maiorem in aduentu Redemptoris nostri fructum mercedis inuenias, quanto eius mandata non negligens, in fauorem iustitiæ & defensionem impenderis.

*Mense Martio, indictione prima.*

EPISTOLA XVII.

GREGORII PAPÆ I.

AD BONIFACIUM PRIMVM DEFENSOREM.

Vt defensores septem existant, qui regionariorum, notariorum & subdiaconorum priuilegiis vtantur.

*Gregorius Bonifacio primo defensori.*

**E**CCLESIASTICIS vtilitatibus fideliter insudantes congruæ remunerationis sunt beneficio prosequendi, vt & nos respondisse eorum digne obsequiis videamur, & illi ex indulta consolationis gratia vtiliores existant. Quia igitur defensorum officium in causis ecclésiæ & obsequiis noscitur laborare pontificum, hac eos concessa prospeximus recompensationis prærogatiua gaudere; constituentes, vt sicut in schola notariorum atque subdiaconorum per indultam longe retro pontificum largitatem sunt regionarii constituti, ita quoque in defensoribus septem qui ostensa suæ experientiæ vtilitate placuerint, honore regionario decorentur. Quos quolibet per absentiam pontificis & sedendi in Conuentu clericorum habere licentiam, & honoris sui priuilegia in omnibus statuimus obtinere. Præterea si quis ad prioris locum veniens in alia fortasse prouincia propter vtilitatem propriam deget, hunc necesse est primatus locum per omnia curare, vt ille prior defensorum omnium possit existere, qui & ante prioratus locum in ecclesiasticis vtilitatibus obsequiisque pontificis non destitit per sedulam præsentiam permanere. Hæc itaque constitutionis nostræ decreta, quæ pro defensorum sunt priuilegiis & ordinatione disposita, perpetua stabilitate & sine aliqua constituimus refragatione seruari; siue quæ scripto decreuimus, seu quæ in eis in nostra præsentia videntur esse disposita: nec a quoquam pontificum

in totum partemve ea qualibet occasione conuelli discernimus vel mutari. Nam nimis est asperum, & præcipue bonis sacerdotum moribus inimicum, niti quempiam quacumque rationis excusatione, & quæ bene sunt ordinata rescindere, & exemplo suo docere ceteros sua quandoque post se constituta dissoluere.

*Mense Aprili, indictione prima.*

EPISTOLA XVIII.

GREGORII PAPÆ I.

AD MARINIANVM EPISCOPVM RAVENNATEM.

Concedit priuilegia monasterio sanctorum Ioannis & Stephani in vrbe Classitana constituto.

*Gregorius Mariniano episcopo Rauennati.*

Grat. 18. q.  
1. c. Quam  
fit.

**Q**VAM sit necessarium monasteriorum quieti prospicere, & de eorum perpetua securitate tractare, antea actum vos officium, quod in regimine monasterii exhibuistis, informat. Et ideo quia monasterium beatorum Ioannis & Stephani, quod in Classitana est ciuitate constitutum, cui communis filius Claudius abbas præesse dignoscitur, multa a prædecessoribus vestris præiudicia atque grauamina pertulisse cognouimus; oportet vt fraternitatis vestræ prouisio eorum de futuro quietem salubri ordinatione disponat; quatenus conuersantes illic in Dei seruitio, ipsius quoque gratia suffragante, mente libera perseuerent. Sed ne ex ea quæ magis emendanda est consuetudine quisquam illic quolibet tempore quidquam molestiæ præsumat inferre; necesse est vt hæc quæ inferius enumeranda curauimus, ita fraternitatis vestræ studio debeant custodiri, vt ex eis non possit vltius inferendæ inquietudinis occasio reperiri. Interdicimus igitur, vt nullus episcoporum aut sæcularium vltra audeat de redditibus, de rebus vel chartis prædicti monasterii, vel de loco aliquo qui ad id pertinet, quocumque modo qualibet occasione minuere, nec immisiones dolosas aliquas facere. Sed si qua forte causa inter Rauennatem ecclesiam & præfatum monasterium euenerit, & pacifice non potuerit ordinari apud electos a partibus, timentes Deum, sine voluntaria dilatione, mediis sacrosanctis euangeliiis finiatur.